



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

II. De essentia, existentia, & possibilitate entis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

Itaque conceptus transcendens in eo differt à conceptu non transcendente, quod conceptus transcendens cum includatur formaliter in omnibus differentiis, habet in illis eandem formalitatem & denominationem, quam habet in statu præcisionis; idem substantia differt ab accidente per conceptum, qui verè denominatur ens. Conceptus verò non transcendens, cum non includatur in suis differentiis, non eandem habet in illis formalitatem & denominationem, quam habet in statu præcisionis; idem verum non est quod rationale & irrationale differant in aliquo quod formaliter sit animal, cum rationalitas & irrationalitas non sint formaliter animalitas.

Ens igitur analogum est, quia eius inferiora differunt per formalissimam rationem entis, idest per aliquid quod formaliter est ens; unde argumentor. Substantia & accidens non conveniunt vniuocè in communi ratione entis, si non eodem modo conveniant in ea ratione communi, quo conveniunt in ratione communi animalis rationale & irrationale: sed substantia & accidens in ratione communi entis non conveniunt eo modo, quo rationale & irrationale conveniunt in ratione communi animalis, cum rationale & irrationale non differant in vilo quod sit formaliter animal: ergo substantia & accidens non conveniunt vniuocè in ratione communi.

Eualio.

Dices, substantiam & accidens differre quidem in ratione communi entis ut contracta, non differre autem in ratione communi entis ut præcisa; atque adeo illam rationem communem ut præcisam non esse analogam, sed vniuocam.

Sed contra; nam ut aliqua ratio sit vniuoca, necesse est ut eandem habeat formalitatem contracta & abstracta, idest ut contractio fiat per formalitatem adæquatè distinctam à ratione communi; atque adeo ut formalitas contrahens non includat rationem illam quæ contrahitur; sic enim ratio illa communis non habet essentialem dissimilitudinem, cum in utroque statu eadem sit. At verò transcendentia facit dissimilitudinem, quia illammet formalitas, quæ fuerat abstracta, dissimilitudinem essentialem habet in suis differentiis, in quarum conceptu includitur; unde illa ratio partim eadem est, quia omnia inferiora entis habent conceptum entis; partim diuersa, quia illomet conceptu differunt substantia & accidens. Idem,

Altera probatio.

Argumentor secundò. Tunc aliqua ratio est partim eadem, partim diuersa, quando in statu abstractionis est eadem, in statu verò contractionis est diuersa: illa ratio quæ formaliter includitur in suis differentiis huiusmodi est: ergo illa ratio quæ formaliter includitur in suis differentiis est partim eadem, partim diuersa. Maior ex eo patet, quia in omnibus vniuocis videmus quod ratio communis, tum in statu abstractionis, tum in statu contractionis eadem est formaliter; nam animalitas v.g. etiam prout contracta ad hominem & brutum, non est diuersa formaliter; quia non includitur formaliter in conceptu suarum differentiarum. At verò ens ut contractum ad substantiam formaliter diuersum est à ratione entis contracta ad ipsum accidens, quia ens formaliter includitur in differentia substantiæ, & in differentia accidentis.

Denique illa ratio non est vniuoca, quæ non eodem planè modo participatur: illa ratio quæ includitur formaliter in suis differentiis, non eodem modo participatur, cum sit diuersa formaliter prout participatur: ergo illa non est vniuoca. Nam differentia entis secundum se tota sunt entia: sed

illæ differentia secundum aliquid sui differunt: ergo illæ differunt formaliter in ratione ipsa entis.

Ad primam respondeo concedendo substantiam non esse de conceptu entis sumpto in statu abstractionis, sed esse de conceptu entis in statu contractionis. Ad illam ergo maiorem: nulla res fieri potest quidditati diuersa per id, quod non est de illius quidditate, in statu tum abstractionis, tum contractionis, concedo; quod non est de illius quidditate tantum in statu abstractionis, nego. Nam ratio vniuoca debet esse omnino eadem in utroque statu.

Ad secundam eadem responsio locum habet: vniuoca est illa ratio, quæ omnino est eadem, tum abstracta, tum ut contracta; idest, quæ nullas includit differentias tum in statu abstractionis, tum in statu contractionis. Similiter illud non facit rationem entis esse præcisam analogam, quod non includitur in ratione entis præcisa, negatur, si formaliter includatur in ea ut contracta. Hoc autem argumento vsus sum nuper aduersus eos, qui negant transcendentiam esse causam analogiæ, neque potest illis mea responsio esse vsui.

Ad tertiam liquet responsio ex dictis in tertia conclusione.

QVÆSTIO II.

De essentia, existentia, & possibilitate entis.

Non potest adæquatè intelligi conceptus entis realis, de quo dixi hæcenus, donec tria illa de ipso explicentur, in quibus tota versatur realitas; earum autem recta intelligentia tria exigit: primò, an & qualis sit distinctio inter essentiam & existentiam; secundò, an & qualis sit actualitas essentia ab æterno; tertio, quid sit rerum possibilitas ante ipsam existentiam.

SECTIO I.

An sit aliqua distinctio inter essentiam & existentiam.

Errum est primò, proprium essentia conceptum esse, sicuti nuper posui, ut sit res ipsa, quatenus definitione aliqua explicabilis est; siue id, quod est radix, & fundamentum omnium proprietatum, quæ sunt in aliqua re. Conceptum autem existentia proprium esse ut sit forma metaphysica, quæ res formaliter transit à statu possibilitatis ad statum propriæ actualitatis; siue breuius, ut sit ipsa rei actualitas. Primò dicitur forma, quia concipitur aduenire ipsi essentia, & eam determinare; non est tamen physica quædam forma, cum non distinguatur realiter ab essentia, ut mox dicam; sed concipitur tamen tanquam actuans & determinans essentiam ipsam rei. Dicitur deinde, quia res formaliter transit à statu possibilitatis, ut distinguatur à causa efficiente, quæ constituit rem extra statum possibilitatis efficienter duntaxat; existentia verò constituit formaliter, quia tribuendo seipsam, & intrinsecè rem afficiendo, ponit eam extra statum possibilitatis. Quid autem sit huiusmodi status, dixerunt scilicet 3. Nunc satis est scire, illum esse statum, in quo sunt creaturæ antequam producantur; sicuti status actualitatis est is, in quo sunt creaturæ postquam sunt productæ, & nondum sunt

Quæst. II. Sect. I. de Essentia & Existent. 631

sunt destructæ; in quo videlicet dici potest, quod res alicubi sit, & apta sit habere veros effectus, & veras proprietates; quem statum exprimere solemus his verbis, *Extra causas suas esse*: quod patet solis creaturis posse convenire; Deus enim nullas causas habet, cum tamen perfectissimam habeat actualitatem, & existentiam.

Denique dixi existentiam constituere rem aliquam in statu propriæ actualitatis, quia res etiam antequam producantur, actualitatem quandam habent in suis causis; neque tamen habent existentiam, quia propriam non habent actualitatem.

Triplex comparatio essentia.

Certum est secundum tripliciter posse comparari essentiam, & existentiam: Primum enim potest comparari essentia pro ut in statu possibilitatis cum existentia exercita & actuali: secundum essentia pro ut actualis, reduplicative cum actuali existentia. Tertium sumi potest essentia ut actualis specificatiue, id est pro ut nec dicitur existentiam, nec illam negat, sed præscindit ab existentia & non existentia. Non est dubium quin essentia in secundo sensu, siue pro ut actualis reduplicatiue, identificetur etiam ratione cum existentia, quia essentia pro ut habens actualitatem est essentia formaliter ut existens. Difficultas igitur tantum est de essentia sumpta in primo & tertio sensu, an realiter distinguatur ab existentia, deinde utrum distinguatur ratione.

§. I.

Utrum essentia & existentia distinguantur realiter.

Partem affirmatiuam sequuntur Thomistæ omnes communiter, & cum illis Molina 1. p. q. 3. art. 4. disp. 2. Fonseca 4. Metaphys. cap. 2. quæst. 4. sect. 1. Negatiuam tenent Scotistæ, ac Nominales, & cum illis Suárez disp. 3. 1. sect. 1. & 5. Valentia 1. p. disp. 1. quæst. 3. p. 4. Valques 1. p. disp. 179. aliique Recentiores.

Prima dubitatio.

Ratio autem dubitandi est primò, quia nihil esse potest in potentia ad seipsum: sed essentia dicitur esse in potentia ad existentiam: ergo essentia & essentia sunt distinctæ. Deinde nihil concipi potest cum opposito eius cui identificatur: sed essentia concipi potest cum opposito existentia; potest enim concipi ut possibilis: ergo essentia non identificatur cum existentia.

Secunda.

Secundò essentia Petri nunc existens est eadem numero cum essentia Petri, quæ ab æterno est possibilis; hæc enim numero essentia Petri fuit ab æterno possibilis: sed essentia Petri ab æterno possibilis, non identificatur cum existentia actuali, quia existentia non est ab æterno, essentia verò est ab æterno: ergo actualis existentia Petri non identificatur essentia. Imò illa essentia Petri, quæ ab æterno est, concipitur eadem inuatiata essentialiter, siue existat, siue non.

Tertia.

Tertio, receptum & recipiens distinguuntur: sed recipiens est essentia, existentia verò est receptum; dicitur enim communiter quod creaturæ habent esse receptum, esse autem Dei est esse irreceptum, atque adeò Deum esse actum purissimum. Non potest autem intelligi esse illud receptum creaturæ; nisi quod existentia eius recipitur in essentia: ergo distinguuntur in creaturis existentia & essentia. Vnde,

Quarta.

Quarto argumentor. Si existentia & essentia essent idem à parte rei, sequeretur non magis distinguuntur essentiam & existentiam in creaturis quam in Deo, atque ita creatura tam esset ens per essentiam

quàm Deus; & existentia tam esset essentialis creaturæ quàm Deo: hoc autem falsum esse Theologi omnes asserunt; admittenda enim est in creaturis compositio ex essentia & esse, quæ in Deo nulla est; Deus enim est suum esse, & ens per essentiam existens; quod conuenit creaturæ si existentia sit eius essentia: ergo in creaturis essentia & existentia distinguuntur. Imò quod conuenit contingenter, non conuenit per essentiam: existentia conuenit creaturæ contingenter: ergo non conuenit per essentiam.

Dico primò, essentiam pro ut possibilem distinguere realiter negatiue ab actuali existentia.

Existentia possibilis distinguitur.

Ratio euidens est, quia illa distinguuntur realiter negatiue, quorum vnum est ens, & alterum est non ens: sed essentia possibilis est non ens, existentia verò actualis est ens: ergo essentia possibilis, & actualis distinguuntur realiter negatiue, id est vna dicit realiter id quod altera negat. Deinde certum est existentiam distinguere à negatione sui: sed essentia possibilis habet carentiam existentia: ergo essentia possibilis non est actualis existentia.

Probatio.

Dices, hinc sequi quod essentia possibilis est subiectum priuationis existentia; habet enim carentiam existentia.

Instantia.

Respondeo essentiam non esse subiectum existentia, sicut homo mortuus non est subiectum mortis; idem enim homo dicitur esse viuus & mortuus, non quod homo qui erat viuus, sit subiectum mortis; sed tantum quod transmutatur à viuo in mortuum: similiter enim eadem res transmutari dicitur, ita ut nunc careat existentia, & dicatur possibilis; nunc habeat existentiam, & dicatur actualis.

Dico secundò, essentiam actualem non distinguere villo modo realiter ab existentia.

Existentia actualis non distinguitur.

Ratio est primò, quia essentia & existentia non sunt duæ res distinctæ, si absque superaddito intelligatur rem existere eo ipso quod essentia illa quæ erat possibilis, ponitur extra causas: sed eo ipso, quod essentia quæ erat possibilis, ponitur extra causas, recte intelligitur res existere sine villo superaddito: quod probò. Illud intelligitur existere, quod intelligitur esse actu, non autem in statu possibili: sed eo ipso, quod aliqua essentia ponitur extra causas, nihil aliud intelligendo, res intelligitur esse actu, non autem possibilis: ergo intelligitur existere.

Prima probatio.

Secundò: si essentia & existentia duæ sunt res distinctæ, necesse est ut terminent duplex fieri: sed implicat ut terminent duplex fieri, quod probatur. Si essentia terminaret aliquod fieri seclusa existentia, esset extra causas seclusa existentia; per ipsum enim fieri res est extra causas: sed essentia non potest esse extra causas seclusa existentia, cum existere non sit aliud quàm esse extra causas: ergo implicat ut essentia & existentia terminent duplex fieri. Confirmatur: nam in illo priori signo, quo Angelus v. g. intelligitur terminare creationem præscindendo à quolibet alio accidente superaddito, est formaliter extra causas; intelligitur enim esse creatus actu à Deo, esse dependens, egressus à sua causa, non autem in ea tantum existens, sed reuerà in seipso: ergo intelligitur existere.

Secunda probatio.

Tertio admissa reali distinctione inter essentiam & existentiam, admittendus necessarid est progressus in infinitum; nam illa existentia distincta realiter ab essentia, necessarid est aliqua realitas: ergo pro ut distincta realiter ab essentia, habet essentiam. Vel igitur existentia realiter distinguitur ab hac secunda essentia, vel non distinguitur. Si non distinguitur: ergo essentia & existentia non distinguuntur. Si distinguitur, iterum hæc existentia habet rea-

Tertia probatio.

litatem & essentiam distinctam ab illa essentia, à qua si distinguitur, iterum habet essentiam ab illa distinctam, & sic in infinitum.

Solutio primæ dubit. Ad primam respondeo distinguendo maiorem: nihil concipi potest in potentia actiua vel passiuā ad seipsum, concedo; in potentia obiectiua, nego: potentia enim obiectiua est ipsa rei possibilitas. Essentia ergo quando est possibilis, concipitur in potentia solum obiectiua, non in potentia actiua vel passiuā. Similiter distinguitur etiam altera maior: nihil concipi potest cum opposito eius cui est essentialiter identificatum, & formaliter, concedo; non enim licet coniungere, v. g. hominem cum opposito rationalitatis: cui est identificatum realiter tantum, non autem formaliter, nego. Nam albedo v. g. quæ fundamentum est relationis, concipi potest cum opposito ipsius relationis, idest sine similitudine. Essentia verò & existentia, tamen sint vnum realiter, formaliter tamen distinguuntur, vt dicam statim.

Solutio secundæ. Ad secundam respondeo ad illam propositionem, *Essentia Petri nunc existens eadem est numero cum essentia Petri, quæ ab æterno possibilis est*, distinguo; eadem est actu & adæquatè, nego; eadem est in potentia & inadæquatè, concedo. Idest essentia Petri existens secundum suam quidem entitatem, illa ipsa est, quæ erat possibilis; sed tamen in diuerso statu: nam existens est in statu actualitatis, possibilis autem erat in statu possibilitatis; vnde nego illam esse adæquatè eandem actu, cum habeat statum diuersum ab eo quem habebat prius. Imò eodem argumento aduersarij premi possunt, quibus opponi sic potest. Actualis existentia illa ipsa est, quæ fuit possibilis: sed existentia possibilis vt sic non est exercitium actuale ipsius existentie: ergo neque actualis existentia. Sicut ergo illi dicerent, existentiam actualem non esse actu eandem adæquatè cum existentia possibili, sed inadæquatè solum & in potentia; idem etiam à me dicitur de essentia possibili & actuali.

Solutio Tertiæ. Ad tertiam respondeo, posse dupliciter aliquid esse receptum appellari: primò receptum in aliquo; secundò receptum ab aliquo. Esse creaturæ non est necessariò receptum in aliquo; substantia enim non est in alio: sed receptum necessariò est ab aliquo, à causa nimirum efficiente. Cum tamen esse diuinum neque receptum sit in aliquo, nec ab aliquo. Vel etiam essentia creaturæ non est receptiua realiter existentie tanquam eius subiectum, sed formaliter tantum & per conceptum. Existentia diuina, neque realiter, neque formaliter recipitur in essentia; quia illæ in Deo identificantur, tum realiter, tum formaliter; vnde,

Solutio Quartæ. Ad quartam respondeo essentiam diuinam non in eo differre à creatura, quòd diuina realiter identificetur existentie, creata verò non identificetur: sed differunt, vt dixi, quòd creata differat conceptu, diuina ne ratione quidem distinguatur; existentia enim est eius essentia formaliter, cum Deus existat essentialiter. Quando ergo dicitur, *Deus est esse per essentiam & suum esse*, duplex esse potest sensus: primus est, Totum quod est in Deo, est Deus; nihil in eo est, quod non sit Deus: iustitia v. g. Dei est Deus. Non ita res habet in creaturis, v. g. in homine multa sunt accidentia, multæ partes, quæ non sunt homo. Secundus sensus est, Deus ita existit essentialiter, vt eius existentia sit formaliter eius essentia, quod in creaturis non ita esse modò declarandum est.

§. II.

Verum existentia & essentia distinguantur conceptu.

Essentia reduplicatiuè vt actualis identificatur cum existentia, non solum realiter, sed etiam conceptu, sicut supra dixi. Difficultas ergo est, verum essentia specificatiuè solum actualis, quæ neque dicit, neque negat existentiam, distinguatur ab ea per conceptum, ita vt conceptus vnus obiectiuus repræsentet essentiam, qui non repræsentet existentiam, etiam confusè.

B Ratio dubitandi primò est, quia illud omne, quod in suo conceptu includit realitatem, includit necessariò existentiam, vel possibilem, vel actua- lem. Ille conceptus, qui repræsentat essentiam, includit necessariò existentiam: ergo essentia & existentia non distinguuntur conceptu, cum esse reale non sit aliud, quam existere potentia vel actu. Imò si essentia distinguatur tanquam formalitas ex parte obiecti ab existentia, sequitur processus in infinitum; nam formalitas illa existentie est ens: ergo habet essentiam; & sic in infinitum.

C Secundò: Existentia prout præcendens ab essentia, includit necessariò rationem entis: sed ratio entis significat id quod habet essentiam: ergo existentia necessariò in suo conceptu includit essentiam, atque ita non distinguuntur ratione ab essentia. Deinde, vel essentia concipitur in statu possibili, & sic includit existentiam possibilem; vel in statu actuali, & includit existentiam actualem: ergo quomodocumque concipitur essentia, semper includit existentiam. Denique creatura concipi non potest sine creatione: ergo neque sine existentia; creatio enim non potest considerari sine suo termino: sed terminus creationis est existentia: ergo creatio concipi non potest sine existentia.

Tertio: Illa formalitas, quæ per præcisionem est essentia, & non existentia, est reuera possibilis, & realis: ergo quando concipitur illa formalitas existentie vt possibilis & realis, concipitur formalitas existentie. Imò argumentor euidenter. Vt essentia & existentia distinguantur conceptu ex parte obiecti, necesse est vt concepta essentia, concipiat ex parte obiecti aliquid, quod non concipiat concepta existentia; & contra, quando concipitur existentia, non concipitur essentia: hoc vtrumque falsum est; nam concepta essentia possibili, concipitur totum quod est possibile: sed illud idem totum, quod est existens, erat possibile: ergo quoties concipitur essentia possibilis, totum concipitur quod est existens: ergo concepta essentia, concipitur existentia; & concepta existentia, concipitur essentia; quia concipitur totum quod est existens: sed totum quod est existens, erat possibile: ergo concepta existentia concipitur essentia. Neque licet recurrere ad diuersum statum dicendo, quod eadem res est existens, & possibilis: sed habet statum quando est existens, quem non habet quando est possibilis. Contra enim infit. Ille status, quem res habet dum existit, prius erat possibilis: sed concepta essentia possibili, concipitur totum quod est possibile: ergo concepta essentia possibili, concipitur etiam hic status.

Dico primò, essentiam actualem specificatiuè sumptam distingui ratione ratiocinata per conceptum obiectiuum diuersum ab existentia actuali; & essentiam specificatiuè possibilem distingui ratione ratiocinata ab existentia possibili. Ita communis fert sensus tam Doctorum,

Quæst. II. Sect. II. Essentia ab æterno. 633

Doctorem, ut recte ostendit Suarez *disp. 31. sect. 6.* repugnant autem quidam Recentiores etiam Theologi, qui multa hinc disputant de distinctione scientia simplicis intelligentia in Deo, à scientia visionis; altera enim est scientia possibilem, altera existentium: unde si non differt conceptu essentia ab existentia, sequitur neque distingui conceptu duas illas scientias; quæ tota doctrina nititur leuissimâ vocum æquiuocatione, ut patet.

Probatur. Ratio est, quam nuper indicaui, quia existentia non potest esse essentialis enti contingenti, qualis est omnis creatura: sed si essentia creaturæ formaliter esset eius existentia, sequeretur existentiam essentialem esse creaturæ; tota enim ratio cur, existentia essentialis sit Deo, est quia existentia est formaliter essentia Dei, qui propterea dicitur reuera ens per essentiam: ergo existentia creaturæ non est formaliter eius essentia, alioqui verum omnino esset, quod creatura est ens per essentiam, seu existens essentialiter. Deinde quando dicimus essentiam Angeli v. g. non esse illius existentiam, sensus non est, quod eius essentia non sit eius essentia; hoc enim est aperte falsum: sed si essentia & existentia Angeli identificantur conceptu, sensus huius propositionis, *Angeli essentia non est eius existentia*, erit iste: Angeli essentia non est essentia: ergo essentia & existentia non sunt vnum conceptu: est autem certum, quod de solo Deo verum est, eius essentiam esse existentiam.

Eius fundamentum. Dico secundo, explicari recte posse distinctionem rationis inter essentiam & existentiam absolute sumptas, ut essentia dicat solùm præcisiuam rei quidditatem, quæ definitione explicatur, & à qua res habet quod sit in tali vel tali gradu rerum, talis generis & speciei, & quod ei tales debeantur proprietates; existentia verò dicat statum illum actualitatis, quem essentia de nouo habet, quando de facto inuenitur alicubi in rerum natura. Statum de nouo acquirunt res creatæ, dum producuntur à Deo, & exeunt extra suas causas. Si enim Deus vellet, non acquirerent inquam illum statum, sed manerent semper in statu potentialitatis. Ipse verò Deus statum illum actualitatis ab æterno habuit, eumque vi existentia propriæ sibi vindicat. Fundamentum verò huius distinctionis, quam efficit intellectus noster inter essentiam & existentiam, est indifferentia illa, siue non repugnantia creaturæ ad vtrumque statum, potentialitatis videlicet & actualitatis; cum enim ex se neque hunc, neque illum statum sibi vindicet, siue illum de facto habeat, possumus apprehendere illam præciscendo ab utroque statu; & tunc conceptui nostro respondet conceptus obiectiuus solius essentia; quando verò eam apprehendimus sub statu actualitatis, superaddimus essentia alterum conceptum obiectiuum existentia.

Compositum Metaphysicum. Ex quibus colligo, resultare necessariò ex essentia & existentia compositum vnum Metaphysicum, in quo essentia se habet ut aliquid determinabile, existentia verò ut determinatiuum; cum enim essentia præcise sumpta per intellectum ponatur velut in statu indifferentia ad potentialitatem & actualitatem, actualitas tollit illam indifferentiam, & essentiam determinat ad vnum statum; unde merò essentia rationem habet determinabilis, existentia verò determinatiui.

Solutio primæ dubitationis. Ad primam respondeo concedendo quod essentia in suo conceptu includit rationem entis realis, saltem inadæquatè; unde distinguitur illa minor: sed ratio entis realis includit necessariò existentiam, adæquatè considerata, concedo; considerata inadæquatè, nego. Nam adæquatè considerata ratio entis

A est id quod habet essentiam aptam existere: inadæquatè autem considerata est id quod habet essentiam, seu quod potest habere veras proprietates & effectus præciscendo ab actualitate, & possibilitate. Deinde nego dari processum infinitum in formalitatibus, si formalitas essentia differt à formalitate existentia. Fateor enim quod hæc formalitas existentia præcisa ab essentia, includit rationem entis in communi, atque aded includit essentiam in communi, seu essentiam prout significat conceptum entis in communi; sed non significat essentiam hanc in particulari, v. g. essentiam hominis. Dixi autem existentiam posse præcisci ab essentia in particulari, non ab essentia in communi: ex quo

B Ad secundam responsio eadem est, quod existentia, prout præciscens ab hac essentia in particulari, semper includit rationem entis & essentia in communi. Deinde quando dixi essentiam distingui ratione ab existentia, sumpsi essentiam abstractam à statu possibili & actuali, prout significat id quod ipsa definitione rei explicatur, & est quidditas cui debentur veræ proprietates. Si enim sumatur essentia ut possibilis, includit haud dubiè possibilem existentiam; & si sumatur ut actualis, includit existentiam actualem; idè in conclusione dixi, essentiam specificatiuè actualem, vel possibilem, id est prout sumitur pro pura rei quidditate, distingui ratione ab existentia.

C Denique verum est, essentiam creatam, reduplicatiuè ut creatam, non posse concipi sine creatione & sine existentia possibili & actuali: sed essentia prout abstrahit à creatâ & increata, sine vtraque concipitur; idè creatura non potest adæquatè concipi sine creatione, sed concipi potest inadæquatè sine illa.

Solutio tertiæ. Ad tertiam corrui totum argumentum ex dictis, est enim, ut monui, mera verborum æquiuocatio, quæ si tollatur, explicato nomine essentia, nihil superest de quo possit dubitari. Illa igitur formalitas, quæ est essentia & non existentia, non concipitur ut possibilis, neque ut actualis, ut sæpe monui. Unde, quando abstrahitur essentia ab existentia, aliquid tunc ex parte obiecti concipitur conceptu existentia, nimirum ipsa rei quidditas; & quando concipitur existentia, concipitur aliquid quod non concipitur conceptu essentia, nimirum rei actualitas extra suas causas. Hanc igitur propositionem, Conceptu essentia possibili, concipitur totum quod est possibile, distingo; conceptu essentia possibili reduplicatiuè ut possibili, concedo; conceptu essentia possibili specificatiuè ut possibili, seu abstrahendo à rei possibilitate, nego concipi totum quod erat possibile. Similiter quando concipitur existentia adæquatè secundum quod est actu, verum est concipi totum quod est existens & prius erat possibile; sed quando inadæquatè tantum existentia concipitur, non concipitur totum quod est actu, sed solâ ut dixi, rei actualitas.

SECTIO II.

An essentia ab æterno habuerint aliquod esse actuale ante ipsam existentiam.

Posito quod essentia & existentia sint à parte rei vna res, disputatur vterius, vtrum antequam essentia creatæ acceperint essentiam, habuerint ab æterno esse aliquod reale: actuale. Certum enim est, illa habuisse esse possibile, de quo dicitur sectione sequenti. De illo igitur esse actuali essentiarum quatuor inuenio sententias, in quibus singulis non moror. Primò enim Vvicleffus volebat essentias non

Prima sententia
Vvicleffus.

esse purum nihil antequam creentur, sed habere verum quoddam esse reale in Deo, quod destructa existentia non destrueretur; atque adeo quamlibet creaturam ratione illius esse realis, & aeterni esse ipsum Deum: quod delirium in Concilio Constantienſi merito damnatum, non eget refutatione; quomodo enim essentia illa, quae prius erat Deus, desinere potest esse Deus? cum Deus sit ens necessarium & immutabile. Imò cum simplicissimus, & vnissimus Deus sit, quomodo essentia illa reuera plures esse possunt, essentia illa vna? Cùm autem dixit Augustinus, creaturas habere quoddam esse intelligibile, & illud esse Deum, intelligendus est de esse eminentiali, quia Deus continet eminenter omnes creaturas; & illud esse est ipse Deus. Deinde habent etiam esse intentionale, siue obiectivum in mente Dei, à quo cognoscuntur. Secunda sententia docet, creaturas antequam creentur, habere quoddam esse in seipsis per emanationem à Deo ut causa exemplari. Quod etiam est vanissimū, quia causa exemplaris nunquam in actu secundo causat, nisi quando efficiens actu operatur. Tertia sententia tribui solet Scoto, quod essentiae rerum priusquam creentur, habuerunt in Deo esse quoddam diminutum, quod acceperint vi solius cognitionis diuinæ. Sed per illud non intellexit aliud Scotus, quàm esse obiectivum & cognitum, quale accipiunt entia rationis dum fiunt. Quarta sententia est, essentias rerum creaturarum antequam inceperint per productionem existere in singularibus, habuisse quoddam esse vniuersale, positivum & reale, omnino necessarium, actuale, independens à Deo, quod ipsi appellant esse essentiae, distinctum à modo existentiae, qui per creationem superadditur.

Secunda sententia.
Tertia sententia.
Quarta sententia.

Prima dubitatio.
Ratio enim dubitandi est primò, quia si essentiae rerum pendent à Deo, sequitur illas mutari posse à Deo; Deus autem rerum essentias mutare nullo modo potest, non enim facere potest ut homo non sit animal rationale: ergo essentiae rerum non pendent à Deo, saltem quoad esse essentiae. Imò cum Deus ab aeterno sit causa exemplaris, oportet ut ab aeterno etiam sit ipsum exemplatum. Denique cum Deus ab aeterno cognoscat omnes essentias, certè si essentiae illae sunt nihil, sequitur nihil Deum cognoscere ab aeterno.

Secunda dubitatio.
Secundò esse possibile conuenit nunc actu Petro possibili; nam verè dicitur, *Petrus nunc est possibilis*. Imò nunc Petrus possibilis actu differt à chimæra: sed esse possibile, est aliquid reale: ergo nunc actu conuenit Petro aliqua realitas: ergo essentia Petri actuale nunc habet esse.

Tertia dubitatio.
Tertiò ab aeterno verum est dicere, *Homo est animal rationale*: sed hoc verum esse non potest, si essentia non est actu realis ab aeterno; quod probò. Quia subiecto quod est actu nihil, non possunt actu tribui praedicata realia, alioqui subiectum illud esset nihil, & aliquid reale. Nihil, quia supponitur. Aliquid reale, quia reales haberet proprietates. Deinde verbum, *est*, significat actualitatem: ergo quando dicitur, *Homo est animal rationale*; significatur actualitas aliqua hominis, quae si aeterna est, homo habet actualitatem aliquam ab aeterno, quae cum non sit esse existentiae, est saltem esse essentiae.

Essentiae non sunt actu ab aeterno.
Dico primò, rerum essentias priusquam producerentur in singularibus, non habuisse vllum ab aeterno esse vel vniuersale, vel singulare, positivum & actuale; sed illas fuisse simpliciter actu purum nihil, tamen dici possunt reales secundum quid, quatenus sunt possibiles.

Probatio.
Ratio breuiter est; multa enim congerit Suárez, quibus demonstrat, repugnare fidei esse illud essen-

Atque independens à Deo; omnia enim ab ipso pendent & facta sunt, alioqui creatura secundum se totam non est sub dominio Dei. Ratio, inquam, est, quia omne quod est ens à se ac necessarium, est Deus: essentiae rerum quoad esse illud essentiae, entia sunt à se: igitur essentiae illae quoad esse illud essentiae sunt reuera Deus. Deinde vel Socrates possibilis differt à Socrate actu ali secundu totam suam realitatem, vel secundum nihil. Si primū: ergo Socrates ille, qui nunc est, non erat possibilis. Si secundū: ergo secundum illud, quo differt, non erat possibilis. Si vltimū: ergo Socrates possibilis nō est actu realiter & positivè ante productionem, quia Socrates non est actu existens ab aeterno. Denique à priori ratio est, quia essentia & existentia sunt realiter vnum: sed omnis existentia est à parte singularis & producta, nec est ab aeterno: ergo neque ipsa rerum essentia est improducta, neque ab aeterno.

Dico secundò, dari omnino propositiones aliquas, tum formales, tum obiectivas, aeternae veritatis; id est, ab aeterno veras absolute, non tantum conditionate, etiam in seipsis consideratas, non tantum quatenus in intellectu diuino representantur, & in eo habent esse intentionale. Tres sunt partes conclusionis breuiter probandae.

Prima docet, esse propositiones aliquas ab aeterno veras; tum formales, quae sunt operationes intellectus aliquid enunciantis; tum obiectivas, quae sunt res ipsae prout enunciantur ab intellectu.

Ratio manifesta est, quia quae semper sunt idem, & semper fuerunt idem, eorum vnum semper tribui potest alteri: sed extrema illarum propositionum, *Homo est rationalis*; sunt idem, & semper fuerunt idem: ergo vnum potuit semper tribui alteri. Deinde illa propositio formalis, siue illa cognitio est vera, quae conformis est obiecto: sed ab aeterno cognitio diuina versata circa obiectum necessarium fuit conformis obiecto illi necessario; cognouit enim hominem esse animal rationale, quod est verum, & omnino necessarium: ergo illae propositiones formales fuerunt ab aeterno verae, fuissentque similiter verae, si fuisset ab aeterno creatus aliquis intellectus, qui enunciasset, *Homo est animal*; quia fuisset conformis obiecto. Denique, quod propositiones etiam illae obiectivae verae sint, probatur; quia veritas obiectiva est infallibilitas & necessitas rei, quae cognoscitur: sed res quae cognoscitur, quando dico hominem esse animal rationale, necessaria est, & infallibilis, cum praedicatum sit essentia ipsa subiecti: ergo illa propositio obiectiva aeternam habet veritatem.

Secunda pars asserit, veras esse illas propositiones etiam absolute, non tantum sub conditione, quod illae res existerent. Ratio est, quia veritas propositionis alicuius conditionalis semper fundatur in veritate necessaria propositionis alicuius absolute, & vera est propositio hae conditionata, *Si Petrus est homo, necessario est rationalis*; quia fundatur in propositione absolute vera, *Homo est rationalis*: ergo si ab aeterno vera est propositio aliqua conditionalis, vera est propositio absoluta. Deinde, quoties praedicatum & subiectum ita sunt idem, ut vnum significet idem quod aliud, propositio vera est absolute, cum vnum sit de alterius essentia: sed in hac propositione, *Homo est animal*, praedicatum & subiectum significant idem: ergo illa propositio absolute ac sine conditione vera est.

Tertia pars asserit, propositiones illas obiectivas legi ab aeterno esse veras etiam in seipsis; video enim plures, quibusdam Doctores, quod illae non sint verae, nisi quatenus intentionale quoddam esse habeat in

in diuino intellectu eas cognoscente, quod admitti nullo modo debet, quia scientia est de rerum naturis in se consideratis, non autem de illis secundum esse ideale, quod in Deo habent: sed scientia versatur circa istas propositiones: ergo illæ sunt in seipsis veræ. Deinde, quod est simpliciter necessarium, semper est necessarium: obiecta illarum propositionum, necessaria sunt simpliciter, ut dixi: ergo illa sunt in seipsis semper necessaria.

Dico tertio, veritatem æternam illarum propositionum fundari duntaxat in sola identitate terminorum, non autem in vlla actualitate; id est, non in actuali, sed in essentiali connexion terminorum.

Ratio est, quia in propositionibus de tertio adiacente copula, est, significare aliquando solet actuali connexionem prædicati & subiecti, ut si dicam, *Homo est loquens*; aliquando autem significat actuali connexionem terminorum, ita ut significetur duntaxat identitas subiecti cum prædicato, id est, vnum diuersum non esse ab altero, siue de facto reperiantur in eadem natura, siue non. Identitas enim illa significata per verbum, est, non debet esse aliquid reale & actuale, neque supponere debet realitatem actuali connexioni prædicati & subiecti; sed quomodocumque illa se habeant, siue sint in statu potentialitatis, siue in statu actualitatis, sed alterum pertineat ad alterius essentiam, neque dicat aliquid diuersum. Quia tunc propositio est æternæ veritatis, quando prædicatum est de essentia, vel certe cum illo est idem; ut, *Antichristus est peccatorum*. Ergo manifestum est, propositiones illas, etiam si nullam significant actualitatem, esse tamen ab æterno veras, quia significant solum identitatem & connexionem essentiali terminorum.

Solutio primæ dubitationis. Ad primam respondeo essentias rerum creaturarum esse mutabiles quoad totam actualitatem, quam habent semper dependentem à Deo; non esse mutabiles, neque à Deo pendentes secundum connexionem & identitatem terminorum essentialium; Deus enim non potest facere ut homo, & animal rationale non idem significant; neque hinc sequitur, quod essentie illæ præcisæ existentia sint aliquid actu secundum hæc prædicata; sed tantum quod si fiant actu, exigant habere illa prædicata. Deus ab æterno est causa exemplaris in actu primo, non in actu secundo; ideo exemplatum non est actu ab æterno. Deus quoque ab æterno cognoscit omnia possibilia & omnia futura, quæ fuerunt actu nihil. Valde autem differunt hæc duo; nihil cognoscere, id est non habere vllam cognitionem; & cognoscere id quod actu est nihil, sed potest tamen esse, vel etiam erit. Falsum est dicere quod Deus ab æterno nihil cognouerit; verum est, quod cognouerit multa, quæ actu nihil fuerunt, sed erant tamen possibilia & futura in tempore.

Solutio secundæ. Ad secundam respondeo, possibilitatem non esse aliquid reale actuale, ut dicetur sequenti sectione; nunc tantum dico, Petrum possibilem non differre nunc actu à chimæra, per aliquid quod nunc sit actu, sed per aliquid quod nunc possit esse actu.

Solutio tertiæ. Ad tertiam respondeo ex dictis nuper de veritate propositionum necessariorum, distinguendo illam propositionem. Ab æterno verum est dicere, *homo est animal rationale*; si enim verbum, est, significet solum identitatem terminorum, concedo; si aliquam significet actualitatem, nego. Subiecto quod est nihil simpliciter, non possunt attribui prædicata simpliciter realia; sed subiecto quod est secundum quid reale, siue quod est possibile, possunt attribui prædicata secundum quid realia, siue quæ possunt esse actu, quamuis sint actu nihil. Essentiæ antequam existant, & earum prædicata, non sunt actu, neque simpliciter realia, sed secundum quid, quatenus possunt

esse actu, quamuis ab æterno nullo modo sint actu.

Instabis primò. Identitas illa prædicati & subiecti, quæ fundat veritatem harum propositionum, vel est aliquid reale actuale ab æterno, vel non est aliquid reale. Si est aliquid reale actuale: ergo datur aliquid reale ab æterno actuale à Deo independens. Si non est aliquid reale: ergo non potest fundare veritatem realem & actualement illarum propositionum.

Respondeo identitatem illam terminorum non esse aliquid actuale ab æterno reale, sed esse aliquid ab æterno reale possibile, & hoc sufficere ut illæ propositiones sint ab æterno veræ; nam ut propositio formalis actu sit vera, sufficit ut obiectum eius sit possibile, vel futurum; est enim actu verum non per aliquid quod sit actu, sed per aliquid quod esse potest actu.

Instabis secundò. Illa propositio formalis, *Homo est animal*, actu ab æterno est vera in intellectu diuino: ergo illa identitas ab æterno est actu.

Respondeo negando consequentiam; nam ut propositio formalis sit actu vera, non requiritur ut propositio obiectiua sit actu existens, sed tantum identitas inter prædicatum & subiectum, siue illa sit actualis, siue possibilis. Quæ omnia clariora nunc erunt ex dicendis de conceptu proprio rerum possibilem.

SECTIO III.

C *Quid sit rerum possibilitas antequam existant.*

VT rectè intelligatur, quomodo rerum essentia non sint vllò modo actuales ante ipsam existentiam, necesse omnino est intelligere quid sit illas esse possibles. Potest autem sumi ens possibile vel in concreto, vel in abstracto. Possibile in concreto, est illa entitas quæ denominatur habere possibilitatem. Possibile in abstracto, seu ipsa rei possibilitas est forma ex qua oritur denominatio possibilis.

Difficultas igitur nunc est de possibili secundum utramque significationem. Primò quid sit illud quod denominatur possibile: secundò quid sit illa possibilitas, seu forma, per quam denominatur possibile.

Ratio ergo dubitandi est primò, quia illud quod denominatur possibile, non potest esse illud ipsum quod est postea existens, quin ens & non ens identificentur inuicem: res enim possibilis est non ens, res autem existens est ens; sed implicat ut ens & non ens identificentur: ergo res possibilis non potest esse illa eadem res, quæ postea est existens. Imò quod est hodie non ens, non potest cras esse ens: res possibilis est hodie non ens: ergo non potest cras esse ens, & existens. Denique de eo quod est merum nihil, non potest dici aliquid reale; res quæ non existit est non ens: ergo illa non denominatur possibilis, cum illa sit aliquid reale.

Secundò ipsa rei possibilitas, seu forma, per quam aliquid denominatur possibile, non potest esse aliud quam denominatio extrinseca ab omnipotentia Dei, per quam potest produci: ergo illa non est aliquid intrinsecum creaturæ. Probo antecedit. Nulla est conceptibilis possibilitas creata, quæ non dicat essentiali ordinem ad Deum: sed illa possibilitas primaria, quæ abstrahet ab omnipotentia Dei, erit prior ordine ad Deum, & non dicet ordinem ad eius omnipotentiam; relata enim sunt simul naturæ & cognitione: ergo possibilitas creata & primaria non est aliquid distinctum ab omnipotentia Dei. Probatur maior, quia creatura possibilis ut sic est ens per participationem ab alio: sed ens per participationem ab alio, connotat necessariò potentiam Dei: ergo creatura possibilis ut sic connotat potentiam Dei.

Tertio si possibilitas creata & primaria non est

denominatio

denominatio ab omnipotentia, creatura erit possibilis radicaliter antequam Deus possit illam producere: sed implicat ut sit prius possibilis quam Deus possit illam producere: ergo possibilitas primaria est denominatio ab omnipotentia. Probatur maior. Nulla realitas esse potest, aut concipi prior quam id quod est simpliciter primum ens & primaria radix totius realitatis & possibilitatis: sed Deus est simpliciter primum ens & primaria radix totius realitatis & possibilitatis: ergo nulla realitas potest concipi prior quam Deus, & quam eius omnipotentia.

Quarta.

Quarto omnipotentia seipsa est potens & factiva creaturarum: ergo seipsa illas denominat factibiles & possibiles. Probo antecedens. Potens ut potens, alicuius est potens; & factivum ut sic, alicuius est factivum: sed quod seipso factivum est, alicuius factibilis est factivum: ergo Dei omnipotentia quae seipsa factiva est, factiva est creaturarum factibilium, & illas denominat factibiles. Confirmatur, quia sicut per eam formam, quae ego denominor videns, obiectum denominatur visibile; & per eam actionem, quae causa denominatur agens, terminus denominatur actus: ita per eam formam quae Deus denominatur potens & factivus, creatura denominatur possibilis & factibilis.

Quinta.

Quinto implicat ut aliquid concretum dicat in recto subiectum, & in obliquo negationem illius subiecti: sed si res possibilis sit ipsa res ut dicens negationem existentiae, concretum erit huiusmodi: ergo res possibilis non est ipsa res ut dicens negationem existentiae. Denique illud non includitur contradictionem, est aliquid actuale; nam Petrus actu est possibilis, & actu differt à chimera: ergo esse possibile est aliquid actuale.

Id quod denominatur possibile.

Dico primum. Id quod denominatur possibile, esse illud ipsum ens secundum totam illam entitatem, quam haberet si existeret.

Probatio.

Ratio est, quia illud recipit denominationem possibilem, quod potest à Deo produci: sed entitas realis Petri, quae postea existit, est id quod potest à Deo produci, & illa ipsa est, quae potest existere à parte rei: ergo illa est quae denominatur possibilis: ergo possibile in recto est ipsa res vera & realis, quae postea existit, aut existeret, si produceretur. Ex quo confutatur memorata superius insania Vvicleffi, qui voluit res possibiles esse ipsum Deum; res enim possibilis est res illa, quae Deus producit: sed id quod Deus producit, non est ipse Deus: ergo res quae denominatur possibilis, non est ipse Deus. Confutatur etiam alij, qui aiunt rem quae denominatur possibilis, esse puram negationem. Illa enim negatio non potest identificari cum re positiva existente: ergo illa negatio non potest esse adeo quate ipsa res possibilis. Deinde repugnancia ad essendum est pura negatio: ergo non repugnancia illa opposita non est pura negatio, sed aliquid positivum.

Possibilitas non est denominatio extrinseca.

Dico secundum, id quo res aliqua radicaliter & remote denominatur possibilis, non est sola denominatio extrinseca ab omnipotentia Dei, per quam illa res potest produci; quamvis illa denominatio verè dici possit proxima possibilitas rei alicuius creabilis. Contra plures è Recentioribus, qui rem possibilem nolunt denominari aliunde quam à Dei potentia, per quam produci potest.

Prima ratio.

Obserua tamen possibilitatem in abstracto esse posse duplicem; alia est remota, alia proxima. Remota est fundamentum intrinsecum, ratione cuius aliqua res potest fieri à Deo: proxima est id quod creata res dicitur possibilis.

Prima igitur pars probatur, quia illud formale, per quod aliqua res radicaliter denominatur possibilis, est aliquid commune Deo & creaturis; est enim conceptibilis aliqua ratio communis abstracta, quae non includat Deum aut creaturas: sed Deus non denominatur possibilis per ordinem ad

A omnipotentiam Dei, ut patet: ergo forma, per quam aliqua res denominatur primario & radicaliter possibilis, non est ipsa Dei omnipotentia.

Deinde ideo res fieri potest, quia in se non repugnat: non potest autem dici quod propterea est possibilis, quia potest fieri à Deo, nullo enim alio argumento probamus rem aliquam non posse fieri à Deo, nisi quia illa in se repugnat: ergo prius est rem aliquam non repugnare, quam fieri posse à Deo.

Præterea, si possibilitas primaria & fundamentalis oriretur ab ipsa omnipotentia, non autem ab ipsa re quae non repugnat, nulla esset ratio cur Dei omnipotentia potius Petrum denominaret possibilem, quam chimaram; si nimirum nulla in illis assignaretur differentia intrinseca, ratione cuius una subesse posset tali denominationi, non altera: hoc autem non ita se habet: ergo possibilitas primaria & fundamentalis oritur ab ipsa re, non autem ab omnipotentia; sicut amabilitas radicalis non petitur ab amore possibili, sed ab intrinseca bonitate ac perfectione, ratione cuius res aliqua digna est amore. Confirmatur, quia impossibilitas chimerae non oritur ex defectu omnipotentiae, sed ex intrinseca repugnantia talis conceptus: ergo possibilitas hominis oritur ex intrinseca non repugnantia conceptus hominis.

Denique viriosus erit circulus si omnipotentia definiatur, *Qua potest facere omne possibile*; possibile verò dicatur, *Quod fieri potest ab omnipotentia*: sed si possibile denominetur ab omnipotentia, utraque illa definitio est vera: ergo possibile non denominatur ab omnipotentia.

Dico tertium. Fundamentalitas & primaria possibilitas consistit formaliter in eo quod res aliqua in suo conceptu non includat duo contradictoria, siquae possibile in recto dicit ipsam rem, in obliquo autem negationem duorum contradictoriorum in suo conceptu. Si autem res aliqua sit pure possibilis, dicit etiam præterea negationem actualis existentiae.

Ratio est, quia per hoc quod aliquid in suo conceptu non includat duo contradictoria, rectè redigitur ratio, cur res possibilis differat à chimera, quae in suo conceptu dicit duo contradictoria. Reddunt etiam ratio, cur una res fieri possit à Deo, non autem alia; quia scilicet aliaque in suo conceptu non includunt contradictoria, alia includunt.

Dices: res non existens actu, non potest includere actu duo contradictoria; chimera est res non existens actu: ergo non potest includere actu duo contradictoria.

Resp. ad maiorem, quod res non existens actu potest in conceptu suo includere duo contradictoria; sed in se ipsa non illa includere. Chimera non dicitur in se ipsa includere contradictoria, sed tantum conceptus ille chimerae, qui obicitur intellectui, ea includit.

Ad primam resp. concedendo esse impossibile ut ens & non ens identificentur pro eo tempore, quo unum est ens, & alterum non ens; sed posse identificari pro eo tempore, quo non ens definit esse non ens, & est verum ens. Res existens est ens pro eo tempore, quo est existens; & non ens pro tempore quo est non existens. Similiter res possibilis est non ens pro tempore quo existit; ideo dicitur g. i. rem possibilem distinguere realiter negativè ab existente. Ad argumentum igitur resp. Illud quod denominatur possibile, non potest esse illud ipsum quod postea existit, quin ens & non ens identificentur pro eodem tempore, nego: pro diverso, concedo: quod enim prius erat ens, fieri potest non ens, & contra. Id quod est hodie non ens pure ac simpliciter, non potest cras fieri ens; sed id quod est hodie non ens, & est tamen possibile, cras esse potest ens. Denique nihil reale dici potest de eo quod ita est nihil, ut non sit possibile; si autem sit possibile, potest de eo dici aliquid reale; sunt enim aliqua denominationes quae non requirunt actualē existentiam obiecti supra quod cadunt.

ut quando dicitur, *Homo est mortuus: Dies est prateritus: Antichristus nunc est futurus*. Tunc enim actualis denominatio non cadit supra quidquam actuale; dicuntur enim à Dialecticis tales termini distractivi.

Solutio
secundæ.

Ad secundam respondeo ad illam maiorem : nulla est conceptibilis possibilitas , quæ non dicat essentialem ordinem ad Deum , adæquatè considerata , prout est à parte rei , concedo ; concepta inadæquatè , & per conceptum præcisium communem Deo & creaturis , nego . Creatura possibilis considerata vt creatura , dicit ordinem ad Deum ; concepta verò præcisius secundum conceptum possibilitatis communem Deo & creaturis , non dicit ordinem ad Deum , nec est per participationem , vt patet .

Solutio
tertiz.

Ad tertiam respondeo, implicare vt creatura adequatè sumpta sit possibilis vllō modo antequam Deus possit illam producere; posse autem inadèquatè sumptam esse radicaliter possibilem antequam Deus concipiatur illam posse producere. Creatura sumpta inadèquatè est creatura sumpta secundum aliquam rationem communem Deo & creaturis; quæ ratio sine dubio est prior, quam producibilitas, cùm possit illa ratio communis tribui Deo, qui non est producibilis. Ad probationem similiter respondeo: nulla realitas adequatè sumpta concipi potest vel esse prior eo quod est simpliciter primum ens, concedo; nulla realitas inadèquatè sumpta, nego: quia si primum ens esset prius omni realitate sumpta inadèquatè & præcisiue, esset etiam prius seipso; quia illa realitas sic præcisiue sumpta est prædicabilis de illo primo ente, cùm sit ratio communis primo enti, & creaturis.

Solutio Quartæ. Ad quartam respondeo Dei omnipotentiam, cū seipsā sit potens & factiva, denominare proximè creaturas factibiles & possibiles sumpta adequatè, non denominare illas radicaliter sumpta inadæquatè ac præcisius. Ad confirmationem & probationem nem eadem responsio est.

Solutio
quintæ.

Ad quintam respondeo esse impossibile vt fiat concretum ex subiecto, & ex negatione illius pro eodem tempore; sed posse fieri concretum ex subiecto, & ex negatione illius pro diuerso tempore: v.g. in hoc concreto, *Petrus futurus*, dicitur in recto ipse Petrus, in obliquo autem carentia Petri, sed pro diuerso tempore; nam in recto dicitur Petrus cras existens, in obliquo negatio Petri existens hodie. Similiter Petrus possibilis dicit in recto entitatem Petri, quæ esset tempore quo existeret; in obliquo autem negat eandem, non pro tempore quo existeret, sed pro nunc. Denique illud non includere contradictionem est aliquid actuale possibile, non aliquid simpliciter actuale; nam esse possibile, est terminus distractus.

DISPUTATIO III.

De uniuersalissimis & primariis
entis proprietatibus.

 ACTENS dixi, communem conceptum en-
tis & essentia realis, per quem differt ab
entis ficto: nunc circa generalia illius ar-
tributa possunt plura disputari. Primò de attributis
entis generatim: secundò de vnitate, quæ prima est
inter passiones entis; vbi explicari etiam debent
varia distinctionum genera opposita vnitati: ter-
tiò de veritate ac bonitate.

R. P. de Rhodes curs. Philosoph.

QVÆSTIO I.

De passionibus entis generatim.

TRia de huiusmodi entis passionibus generari
quæri possunt: primò an sint: secundò quid
enti superaddant: tertio quot sint, & quomodo inter
se ordinem habeant.

SECTIO I.

An sint aliquae passionēs entis, & quid enti
superaddant.

Nomine attributi, passionis, & proprietatis, seu Attributum
affectionis significari solet id quod consequi- quid signi-
tur primum, & quidditatum conceptum alicuius ficet.
rei, vt risibilitas sequitur rationalitatem, & est eius
attributum; essentia enim rei est primarius conce-
ptus, quem de re aliqua formamus, è quo scilicet
tanquam è radice pullulant ea omnia quæ rei alicui
attribui possunt. Secundarij autem conceptus
cuiuslibet rei vocantur eius attributa, quia primario
conceptui attribuitur tanquã rationi è qua derivã-
tur. Difficultas igitur est, utrum communissimus ille
conceptus entis aliqua habeat huiusmodi attributa
omni prorsus enti cõueniẽtia, & ab eo inseparabilia.

Ratio verò dubitandi primò est, quia id quod est attributum essentiae alicuius, debet esse extra conceptum essentiae illius, cuius est attributum: illa quæ dicuntur entis attributa, non sunt aliquid extra conceptum entis: ergo ens non habet attributa. Probatur maior; nam attributa entis vel eandem habent realitatem, quam habet ipsum ens; vel habent distinctam realitatem. Si diuersam: ergo sunt distincta realiter ab ente, & sic sunt non entia. Vel habent eandem, & sic non sunt proprietates, sed essentia ipsa entis. Confirmatur, quia ens ante omnem operationem intellectus est vnum, verum, & bonum: ergo illæ proprietates aliquid entis superaddunt ante operationem intellectus.

Secundò proprietates entis, vt sunt proprietates, sunt extra essentiam & aliquid superaddunt: sed vt sunt proprietates, sunt reales: ergo sunt reales provt sunt extra essentiam entis, & provt aliquid superaddunt. Confirmatur; nam proprietates non sunt proprietates, nisi secundum id quod superaddunt: sed sunt proprietates vt sunt reales: ergo sunt reales secundum id quod superaddunt.

Tertio, si attributa includunt ens: ergo ens diuidi
potest in illa tanquā in species inferiores, sicut diuidi-
tur in decē categorias, in quibus similiter includi-
tur. Imò si hæc attributa conuertuntur cum ente, &
illud includunt, sequitur quod vnum attributum est
alterius attributum, v. g. verum est attributum boni,

Dico primò, ens in communi habere vera & realia quædam attributa.

Ratio est, quia si ens non haberet veras illas proprietates, ens non esset aliquid feibile, quia omne subiectum scientiæ habet reales proprietates, quæ de ipso demonstrentur: est absurdum negare quod ens sit aliquid feibile. Præterea multi sunt cõceptus secundarij entis in cõmuni illi sunt entis attributa: ergo enti in cõmuni vera cõueniunt attributa.

Dico secundo. Attributa entis non illi superad-
dunt aliquid realiter distinctum ab ipso ente.

Obſerva primò, proprietatem quamlibet ſuperaddere ſemper aliquid ſubjecto cuius eſt proprietas; paſſio enim ſubſequitur eſſentiam ſui ſubjecti, & eſt extra illius eſſentiam; ſupponit enim illam iam conſtitutam: non ſupponit autè ſi paſſio non includat aliquid extra illam eſſentiam. Sed non omnes ra-

Attributum
quid signi-
ficet.

Prima Quæ-
bitatio.

Secunda
dubitatio.

Tertia dubie

Ens habet
attributa

Non super-
addunt ali-
quid realiter
distinctum.
Prima ob-
servatio.

HH h mcd